

*Papst Leo X. ertheilt der Universität das Recht, aus ihrem Schooße einen Lehrer zu erwählen, der gleich dem Subconservator die volle akademische Gerichtsbarkeit auszuüben befugt sei, und dehnt das Recht der Universität, die Akademiker in peinlichen Sachen vorzufordern, auf drei Tage-
5 reisen aus. Rom, 1519 Apr. 2.*

Hdschr.: Or. Perg. Archiv der Universität No. 28 mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

Gedr.: C. O. Rechenberg, de advocatis et advocatiis German. (Lipsiae 1725) Anhang 2. — Thomasius, Historie der Weisheit und Thorheit 2, 90.

Ann.: In dorso: A. de Castillo. — Vergl. hierzu Gretschel, die Universität Leipzig 59.

10 : Leo episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam.: In supreme dignitatis specula licet imeriti disponente domino constituti dignum censemus et debitum, ut personis litterarum studiis insistentibus, per quas divini nominis cultus protenditur, iustitia colitur et tam publica quam privata | res utiliter agitur, favores gratiosos et oportune commoditatis auxilia liberaliter impendamus. Sane pro parte dilectorum filiorum univer-
15 sorum doctorum, magistrorum et scholarum universitatis studii generalis oppidi Liptzk Merseburgensis diocesis | nobis nuper exhibita petitiō continebat, quod licet episcopus Merseburgensis loci ordinarius et Merseburgensis ac Numbergensis ecclesiarum decani pro tempore existentes conservatores, contra inferentes eisdem doctoribus, magistris et scolari-
20 bus | in rebus et bonis suis ac privilegiis eis concessis molestias vel iacturas per litteras apostolice sedis deputati existant, nichilominus dicti conservatores ac prepositus monasterii sancti Thome dicti oppidi similiter pro tempore existens, ab eis deputatus subconservator, multociens contra nobiles et potentes illarum partium, timentes illorum inimicitias ac potentiam, procedere recusant, propter quod persone ipsius universitatis sepius coram
25 illis iustitie complementum consequi et eorum causas prosequi nequeunt nonnunquam magna incommoda patiuntur, verum si perpetuo statueretur et ordinaretur, quod ipsi doctores, magistri et scholares unum doctorem ex eorum gremio, qui eandem facultatem haberet quam dictus subconservator habet, eligere possent, coram illo eorum causas pre-
sertim contra dictos nobiles et potentes commodius prosequi et iustitiam consequi posse sperarent, quare pro parte doctorum, magistrorum et scholarum predictorum nobis fuit hu-
30 militer supplicatum, ut quod ipsi unum doctorem ex eorum gremio, qui eandem facultatem habeat quam dictus subconservator habet, eligere possint, statuere et ordinare ac alias in premissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui literarum studiis vacantibus apostolici favoris presidium libenter impendimus, doctores, magistros et scholares prefatos ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspen-
35 sionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus doctores, magistri et scholares
40 universitatis huiusmodi nunc et pro tempore existentes unum doctorem ex eorum gremio,